



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xxxiv [i.e. vi]. Nequè in eo, quòd sit apta mensurare aut mensurari.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

immediatè humeris vel pectori, qualem extensionem & dispositionem habituræ essent hæ partes, etsi omnes existerent in eodem loco. Positâ enim quantitate, non solum pars quantitatis, quæ est in capite, est distincta à parte quantitatis, quæ est in pede, sed etiam pars substantiæ capitis est distincta à parte substantiæ pedis, cum ab invicem separari queant, imò si absente quantitate pars substantiæ capitis à substantia pedis non distinguitur, nequè distinguetur accedente quantitate; nulla enim ratione, quæ semel identificata sunt, queunt à se distingui realiter. D. Thom. verò dicens, substantiam omnem indivisibilem esse remotâ quantitate, & materiam dividi non posse, nisi secundum quod intelligitur sub quantitate; loquitur de divisibilitate in partes entitativas.

VI. Nequè consistit essentia quantitatis in eo, quòd sit apta mensurare aut mensurari (quòd actu mensuretur aut mensuret, constat, provenire illi ab extrinseco, nimirum ab actu intellectus mensurantis), prius enim est, rem actualiter esse localiter impenetrabiliter extensam, quàm posse mensurari aut mensurare. Unde D. Thom. & Arist. contrarium

rium quandoque visi innuere, censendi sunt loqui de mensura radicaliter sumpta, quod ea sit essentia quantitatis, sicut risibile radicaliter sumptum est de essentia hominis. Idem dic de divisibilitate rei in partes quantitativas.

VII. Sed essentia seu ratio formalis quantitatis est exigentia impenetrationis, quâ res quantitativa exigit occupare spatium distinctum ab eo, quod occupat quodvis aliud corpus. Melius autem sic explicatur, quam per hoc, quod sit exigentia extensionis in ordine ad locum; hoc enim non est prædicatum adæquatum quantitatis, cum dicat tantum partes rei esse extra partes, adeoque partes tantum inter se non penetrari, non autem dicit, partes non penetrari cum alio corpore. Habetur autem hæc actualis impenetrativa extensio (quæ formaliter exigitur à quantitate) formaliter ab ubicationibus quantitativis, subjectum actu in loco impenetrabiliter extendentibus. Unde effectus formalis primarius quantitatis est, reddere subjectum exigens extendi impenetrabiliter, non reddere illud actu extensum, potest namque esse quantitas, & tamen subjectum non extendi

tendi